DE MODIS NUPTIARUM INEUNDARUM IURE ATTICO.

»Chez les Grecs le droit privé n'a jamais pris un grand dé»veloppement, et il n'y a rien en Grèce, qu'on puisse compa»rer à la science romaine. C'est le pays des arts et de la »philosophie: ce n'est pas celui de la jurisprudence. Le droit »privé chez les Grecs n'a jamais été qu'un ensemble de cou»tumes, dont l'interprétation a été abandonnée à la pratique »et à la routine." Ita LABOULAYE, Professorem Parisiensem de iure attico privato contumeliose censentem [1] cum nuper viderem, subiit animum dubitatio an haec non recte dicantur; nec me dubitasse poenituit, cum eum ita pergentem cognovi: »Il est aisé de comprendre que le droit public d'un peuple »semblable offre une étude excellente, et qui rachète le peu de »valeur du droit privé." Nulla apud nostrates disputatione opus videtur ut evincam haec temere esse dicta, et e contrario eam partem literarum antiquarum, qua continetur locus de legibus atticis non tantum doctrinae praestantia sed utilitate quoque sese quam maxime commendare, nec eum audiendum esse, qui contendat illam, saltem quod ad ius privatum, fere prorsus impune posse negligi; multas vero eidem doctrinae inesse molestias nemo vel parumper harum rerum

[1]) In Diario *Revue historique du droit français et étranger*, 1855, in disputatione quae inscribitur *de la méthode historique en Jurisprudence et de son avenir*, p. 7, cuius disputationis tamen partem maximam de iure attico postea cognovi deberi diligenti nec tamen semper prudenti imitationi WARNKOENIGII, (*Jur. Encycl.* p. 172 sqq.), qui ipse illud ius satis imperfecte tractavit, pleraque, ut ipse fatetur, ex recentiorum commentariis tradens.

peritus facile negel; necdum res eo pervenit ut tota Atheniensium respublica quasi spirans oculis nostris subiecta sit: improbo labore opus est, ut undique veterum testimonia indagentur et explicentur et in suum quodque locum redigantur, ut tandem aliquod iuris attici quasi corpus nascatur nostra dignum aetate; etiam tum bene multa supererunt, quae nonnisi divinando definiri poterunt, nam et loci permulti contrarii occurrunt et saepissime diserta desunt testimonia: divinatione sive coniiciendi arte hac in re dubio quam maxime obnoxia prudentissime utendum est, et optime rem geremus, si primum constituerimus ea, quae sciri possunt ex perpetua veterum consuetudine, et singula cognoverimus, quae pertinent et ad ius publicum et ad ius privatum Atheniensium. Quo consilio in legendis oratoribus atticis diligenter adnotare coepi locos, qui ius spectarent, et inde corpus legum atticarum congerere; quae nunc speciminis causa prodit exigua est particula iuris familiarum et agit de nuptiarum fundamento; cum omnis iuris distributio apud Athenienses nesciatur, suam quisque cogimur nobis rationem informare: eam delegi, quae secundum aliarum gentium iuris instituta commodissimum ordinem praeberet, haud quidem ignarus inde in iure attico multas orituras difficultates, sic e. g. in hac disquisitione de iuris familiarum parte repente abrumpendam fore orationem, cum ventum foret ad legem de filia hereditaria paupere a proximo cognato aut ducenda aut cum dote elocanda, cum ipsa desponsio hunc sibi locum repertura esset, iuris instituta vero de dote alio loco tractanda essent; haec tamen difficultas evanescet cum omnia iuris familiarum instituta simul tractantur. Optio facienda fuit et satius duxi multos sequi, quam fortasse solus errare. Ad rem ipsam progrediamur.

Duo a legislatore instituti videntur modi iustarum nuptiarum ineundarum *ἐγγύησις* et *ἐπιδικασία*, quod efficiendum ex ISAEO (*de Philoct. Her.* p. 57, § 14) ita de Callippe dicente: *οὔτ' ἐπιτροπεύεσθαι προσήκει τὴν Καλλίππην ἔτι, τριακοντοῦτίν γ' οὖσαν, οὔτε ἀνέκδοτον καὶ ἄπαιδα εἶναι, ἀλλὰ πάνυ πάλαι συνοικεῖν, ἐγγυηθεῖσαν κατὰ νόμον ἢ ἐπιδικασθεῖσαν.* De utroque modo deinceps videbimus.

A. *De modo nuptiarum ineundarum, qui dicitur ἐγγύησις.*

Verbum ἐγγυᾶν cum proprie *spondere* significet et de unaquaque re usurpetur, ἐγγυᾶν τὴν θυγατέρα ἀνδρί, *despondere filiam viro* pater dicitur aut omnino is, in cuius manu femina est (vide DEMOSTH. *adv. Leoch.* p. 1095, § 49 ἣν ἂν ἐγγυήσῃ πατὴρ κτἑ.); ἐγγυᾶσθαι, forma media, is dicitur qui eam ducturus est (fidem faciat DEM. *c. Androt.* p. 609, § 53 καὶ ταῦθ' ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ὁρῷτο ποιῶν, ἣν ὡς ἐλεύθερος ἐνεγυήσατο); filia autem ipsa ἐνεγυήθη (ISAEI *Or. de Philoct. Her.* p. 57, § 14). Res ipsa ἐγγύησις (Id. *de Pyrrhi Her.* p. 43, § 53) aut ἐγγύη (PLATO, *Legg.* VI. p. 774, E.) a veteribus nominatur.

Principem de desponsione legem a DEMOSTHENE accipiamus (*adv. Leoch.* l. l.):

ἣν ἂν ἐγγυήσῃ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ἢ πάππος ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους.

Legitimi liberi tantum iustis nuptiis nascuntur: quae ut iustae sint, lex docet oportere uxorem a patre, a fratre aut ab avo desponsam esse. Lex tamen h. l. non integra ab oratore laudatur, nam non prospicit sponsalibus earum, quibus nec pater nec avus superstes esset. Plenior autem laudatur in *orat. c. Steph.* II. p. 1184, § 18 sqq., ubi filius epicleri sibi postulat ius matris despondendae, cum filius lexiarchico libro inscriptus matris epicleri κύριος sit: legem ipsam nunc non describam, eam mox occasione data totam pertractaturus. Eius memoria quoque servatur ab ISAEO *de Arist. Her.* p. 80, § 12.

Desponsio fieri solebat praesentibus testibus, ut confici potest ex Is. *de Pyrrh. Her.* p. 39, § 18 et p. 40, § 26 sqq. Exemplum fratris sororem despondentis videas apud eundem oratorem (*de Astyph. Her.* p. 77, § 27), ubi Hierocles sororem suam despondisse dicitur Theophrasto. Cff. i. p. p. 74, § 6 τὸν Ἱεροκλέα θεῖον ὄντα καὶ ἐμοῦ καὶ ἐκείνου et p. 77, § 22 ubi post θεῖον ὢν καὶ ἐμοί, quae nunc non facile intelligentur, addas καὶ ἐκείνῳ.

Vitrico non erat ius privignae despondendae, nam legitimus eius κύριος non erat: scil. aut habebat fratres, quibus illud ius lege concedebatur, aut epiclerus erat, de qua quid leges

atticae instituerint postea videbimus. At mihi obiicitur ex eadem, quam proxime laudavi, oratione exemplum Theophrasti (§ 29) privignam suam elocantis: meam tamen sententiam firmari, non labefactari allato exemplo ultro patebit locum ipsum inspicienti; Euthycratis filio Astyphilo erat soror eodem patre nata: mortuo Euthycrate Theophrastus, oratoris pater, eius viduam duxerat: vide nunc orationem ipsam: *ἐπεὶ τοίνυν ἐδοκιμάσθη ὁ ἀδελφὸς* (scil. *ὁμομήτριος* Astyphilus), *ἀπέλαβε πάντα ὀρθῶς καὶ δικαίως ὥστε ἐκεῖνον μηδὲ πώποτε μηδὲν ἐγκαλέσαι τῷ ἐμῷ πατρί· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου ὁμοπατρίαν ἐνεγύησεν ὁ ἐμὸς πατὴρ ὅτῳ ἐδόκει αὐτῷ, καὶ τἄλλα διῴκει καὶ ταῦτα τῷ Ἀστυφίλῳ ἐξήρκει· ἱκανὴν γὰρ ἡγήσατο βάσανον εἰληφέναι ἀπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ τῆς εἰς αὐτὸν εὐνοίας, ἐκ μικροῦ παιδίου τεθραμμένος παρ' αὐτῷ.* Nonne satis his indicatur Theophrastum despondere Astyphili sororem non ut eius *κύριον*, sed ita ut hac in re eius vice fungeretur, cui leges desponsionem dabant? hoc illud *καὶ ταῦτα τῷ Ἀστυφίλῳ ἐξήρκει* indicat. Aliud tamen huic loco inest non omnino negligendum: dixitne scil. orator de industria *τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐκείνου ὁμοπατρίαν*, an casu hoc ita dictum est? Puto eum de industria sic locutum esse: nam frater eadem tantum matre natus vix credi potest ius sororis despondendae habere, ita ut hac in re PLATO lege patria usus videatur dicens: *ἐγγύην δὲ εἶναι κυρίαν πατρὸς μὲν πρώτην, δευτέραν πάππου, τρίτην δὲ ἀδελφῶν ὁμοπατρίων* (*Legg.* VI. p. 774, E; c. 17, fin.). Pari modo etiam legis formula in *orat. c. Steph.*, quam iam attigi: *ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους.* Statim ex PLATONIS ordine apparet satis discriminis interesse inter ius verum et ficticia philosophi iuris instituta, quo impedimur, quominus ad iuris attici doctrinam hoc utamur fonte. Patrias leges quae sibi bonae atque iustae videbantur non neglexit, sed, ubi minus eas probabat, ingenio indulsit.

Dixi fratrem tantum eadem matre natum vix credi posse ius sororis despondendae habuisse; quod paucis demonstrandum: filia, cuius mater bis nupserat cogitari potest aut fratres habere iisdem parentibus natos aut non habere: fratrem si habet eiusmodi, hic post patrem in huius iura succedit, inter

quae censendum ius sororis despondendae: sin vero non habet fratrem eodem patre natum, epiclerus est, cuius quis *κύριος* sit mox videbimus, nunquam vero frater eadem matre natus.

Aliud in ISAEO exstat exemplum, quo frater sororem uterinam elocat magis quam despondet: Apollodorus scil. sororem uterinam Lacratidae per testamentum dat (*de Apoll. Her.* p. 64, § 9): at ne hic quidem locus iuri attico quod desponsionem patri primum tribuit, fratri vero uterino non concedit adversatur, nam cogitandum est de adoptionis specie. Apollodorus profecturus ad bellum Corinthiacum sororem heredem scripsit et cum suis opibus Lacratidae permisit, si ipse in bello adversa usus fuerit fortuna. Salvus vero redux hoc testamentum irritum fecit, nam sorore oratoris patri nubente, quarum saltem nuptiarum Apollodorus sponsor fuisse non dicitur, ipse ducit uxorem, quae ei filium parit. Haec omnia post Corinthiacam expeditionem facta esse tuto inde confici potest, quod Apollodoro, si ipsi eo tempore iam natus fuisset filius, non licuisset per testamentum opes sorori relinquere. Filio denique mortuo pristinam voluntatem erga sororem revocavit, cuius filium extremo vitae tempore adoptavit et phratriae libro inscribi iussit *Θρασύλον Ἀπολλοδώρου*. Non nescio iure attico feminas non posse adoptari, sed iuris instituta de adoptione si nunc tractarem diligentius explicarem, quomodo Apollodorus sororem suam uterinam potuerit adoptare lege nulla laesa; scil. nuptiis, quibus adoptionem cumulavit, cavit ne suum nomen periret sed nato filio ex sorore et Lacratida revivisceret: non adeo sororem adoptavit, sed filium ex ea nasciturum [2].

In *Orat. de Pyrrhi Her.* (p. 42, § 45) occurrit frater neque *ὁμοπάτριος* neque *ὁμομήτριος*, sed adoptatus sororem despondens: quod tamen non fratris sed *κυρίου* iure peregit. Nam proximus genere fuit Pyrrhi filiae, et usus est iure a legi-

---

2) Notandus est error PLATNERI (*Att. Proc.* II. p. 251) dicentis Apollodorum dedisse Lacratidae *die Tochter seiner Halbschwester*. Orator enim perspicue indicat Apollodori matrem post Thrasyli prioris mariti mortem Archedamo nupsisse (§ 7), ex quibus nuptiis filia nata est, quae ab Apollodoro despondetur: haec autem erat, ut in orat. legitur, *ἐκείνου* scil. Archedami *θυγάτηρ*, *ἐμὴ δὲ μήτηρ*, et *αὐτοῦ* scil. Apollodori *ἀδελφή*.

bus sibi dato ut eam aut ipse duceret aut desponderet: haec vero desponsio quo iure facta sit, quaeri potest, nam ista filia Pyrrhi spuria fuit, quo fit ut Endius a Pyrrho adoptari potuerit, et sororem alteri despondere: si legitima fuisset, non potuisset adoptari nisi quoque cum ea nuptias initurus.

Plures cum essent fratres, hi una sororem despondebant: cf. DEM. *c. Boeot.* I. p. 1010, § 7, ubi duobus, qui sui iuris erant, Menexeno et Bathyllo idem ius fuisse indicatur: Periander vero, tertius frater, huius iuris nondum particeps erat, ἔτι γὰρ παῖς ἦν neque igitur ulla in iure agendi potestas ei erat. Non licet praeterire DEM. *adv. Leoch.* p. 1083, § 9; scil. aut orator fallitur aut, quod verisimilius est, codices nos alio loco fallunt: nam, ut locus sese habet, orator non potest credi mortem Archippi nuptiis Archidices praeponere: p. 1085, § 17 inter vocc ὁ Μειδυλίδης et καὶ Ἀρχιάδης propter literarum similitudinem nomen Archippi excidit, quo rescripto omnia recte erunt. Cf. praeterea Is. *de Menecl. Her.* § 3.

De avo neptem despondente dicere supersedeo: exemplum nullum ad manum est.

Quamvis a naturali iure alienum videatur, constat tamen civi attico licuisse despondere uxorem suam alteri, cuius rei argumentum est in DEM. *or. p. Phorm.* p. 953, § 29, ubi Pasionis gratia exemplum laudatur Strymodori Aeginensis, qui Hermaeo liberto uxorem suam dedit in matrimonium, qua mortua etiam filiam suam. Nota conferri potest historia Periclis tradentis uxorem βουλομένην ἑτέρῳ συμβιώσεως οὐκ οὔσης αὐτοῖς ἀρεστῆς (PLUT. in *vita* 24). Non omnes vero mariti tali modo uxorem alteri tradere poterant; non enim facere poterat, nisi ipse uxoris κύριος esset. DEMOSTHENES e. g. (*adv. Eubul.* p. 1311, § 40 sqq.) narrat Timocratem despondere sororem Protomacho, ex quibus nuptiis filia nascitur: Protomachus pauper erat, ἐπικλήρου δὲ κληρονομήσας εὐπόρου τὴν μητέρα (scil. oratoris, Timocratis sororem) βουληθεὶς ἐκδοῦναι πείθει λαβεῖν αὐτὴν Θούκριτον τὸν πατέρα τὸν ἐμόν, ὄντα ἑαυτοῦ γνώριμον, καὶ ἐγγυᾶται ὁ πατὴρ τὴν μητέρα τὴν ἐμὴν παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῆς Τιμοκράτους Μελιτέως. Luce clarius apparet aliquid interesse inter Protomachi voluntatem, qui amico persuadet tantum, ut suam ducat uxorem et sollemnem a Timocrate factam de-

sponsionem. Sic (*adv. Onet.* I. p. 866, § 7) Onetor sororem, quam Timocrates antea duxerat, Aphobo despondet et in ISAEI *Orat. de Menecl. Her.* (§ 8) Menecles uxoris fratres rogat ut eam alteri despondeant, quod mox ita fit.

Nuptias filiae hereditariae, quarum pater sponsor fuisset iusto licet modo contractas posse solvi voluntate proximi genere mox videbimus cum de epidicasia agemus, nunc tantum indicamus.

Ex huiusmodi nuptiis liberi legitimi nascebantur, quos pater phratriae libro inscribi cupiens iurabat *ἦ μὴν ἐξ ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς γυναικὸς εἰσάγειν* (Is. *de Civ. Her.* p. 70, § 19; DEM. *adv. Eubul.* p. 1315, § 54).

Vidimus igitur legitimam mulieris desponsionem fieri a patre, a fratre eodem patre nato, ab avo, aut denique ab eo, in cuius manu esset. Molestissima res est velle indagare legum atticarum aetatem: huius certe origo nusquam a veteribus traditur; sed arctissime cum cohaereat cum reliquis de desponsione legibus, quarum eam, qua genere proximus iubetur aut ipse ducere aut elocare filiam orbam ex infima quattuor classium (cf. DEM. *adv. Macart.* p. 1067, § 54) a DIODORO SICULO (XII, 18) et ARISTOPHANE grammatico (EUSTATH. *ad Iliad.* Φ, vs. 449) Soloni tribuendam esse accipimus, Solon nostrae quoque legis auctor habendus est; sed ne sic quidem nos vitio omni vacare constat, cum res sit notissima, quam studiose non solum oratores, sed et reliqui auctores originem legum a se laudatarum ad summum legislatorem referant, quo studio i. p. seriores incitati videntur ad componendas et ei obtrudendas leges, de quibus nunquam cogitaverit; cuius rei nunc exempla cumulare parco, leviter tantum PLUTARCHUM castigans, qui serio narrat a Solone (in *vita* 20) institutum fuisse *τρὶς ἑκάστου μηνὸς ἐντυγχάνειν πάντως τῇ ἐπικλήρῳ τὸν λαβόντα.* Ut saepius sic etiam hac in re, fraudis an erroris dicam, se ipse arguit, nam ius quod h. l. tantum de epicleris valuisse dicit, in *Amatorio* (c. 23) omnibus nuptis datum fuisse narrat. Sed ex diverticulo Athenas redeamus et videamus huius urbis civibus licuisse *διαθέσθαι ὅπως ἂν ἐθέλῃ τις, ἐὰν μὴ παῖδας γνησίους καταλίπῃ ἄρρενας· ἂν δὲ θηλείας καταλίπῃ, σὺν ταύταις* ut ISAEUS (*de Pyrrhi Her.* p. 44, § 68) docet. Cf. Id. *de Arist. Her.*

p. 81. § 13. Male MEIER (M. et S. *Att. Proc.* p. 468) huc retrahit legem in DEM. *orat. adv. Macart.* p. 1067, § 51 servatam: ipsum legis initium ὅστις μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ eum revocare debuerat a confusione iuris hereditarii ab intestato et iuris testamentarii: lex vero l. l. memorata[3] arctissime cohaeret cum sequenti de puellis orbis ex infima classe. Legis ex ISAEO allatae indolem si coniungimus cum ea, qua marito licebat uxorem, cuius ipse κύριος esset, alteri despondere, originem reperimus novae legis, quae statuebat moribundos per testamentum posse despondere uxorem et filias, cuius rei testimonium videas in DEM. *orat. c. Aphob.* I. p. 814, § 5, ubi Demosthenis pater per testamentum filiam cum talentis duobus Demophonti elocat, uxorem cum octoginta minarum dote Aphobo; cff. II. 840, § 15; 857, § 43; 858, § 47. Ita Pasion dicitur uxorem per testamentum Phormioni elocasse (*p. Phorm.* p. 946, § 8; cf. p. 953, § 28 sq.); quae tamen uxoris desponsio non valebat, nisi moribundus ipse κύριος eius esset, quod arguit orator alio loco, dicens marito non licuisse per testamentum de uxoris desponsione mandare, ἧς οὐδὲ κύριος ἐκ τῶν νόμων ἦν, παῖδές τε ἦσαν αὐτῷ (*c. Steph.* II. p. 1133, § 15): quam ob caussam neque huc facit LYSIAE locus (*c. Diogit.* p. 896, § 6), ubi Diodotus testamento mandat ἐάν τι πάθῃ, τάλαντον μὲν ἐπιδοῦναι τῇ γυναικὶ καὶ τὰ ἐν τῷ δωματίῳ [δοῦναι], τάλαντον δὲ τῇ θυγατρί. Diodoti enim uxoris pater Diogiton etiam tum erat inter vivos: uxoris κύριος igitur non erat Diodotus, et poterat tantum de dote, quam datum iri volebat futuro uxoris marito mandare, nihil vero de eo, cui eam elocatum iri volebat, neque id facit.

Superest ut breviter dicam de alio quodam desponsionis genere: proximus cognatus scilicet cogebatur aut ipse ducere aut elocare filiam orbam ex infima civium classe, quae θῆσσα dicebatur, quod munus DEMOSTHENES refert inter illa quae cognatis necessario facienda sunt: gratum fecisset si legem in ora-

---

3) De qua lege conferenda sunt, quae doctissimus NABER disputavit *Mnem.* I. 392, qui coniecit compilatorem contra fecisse ac MEIER fecit: ille scil. Isaei lege usus videtur ad novam fingendam plane diversam ab exemplo, quod sibi sumserat, hic diversas eas leges tanquam similes inter se comparat.

tione amplius descripsisset, quod cum non fecerit inviti cogimur ad legis formulam ipsam confugere, quae in *orat. adv. Macart.* p. 1067, § 54 hoc modo servata est:

τῶν ἐπικλήρων ὅσαι θητικὸν τελοῦσιν, ἐὰν μὴ βούληται ἔχειν ὁ ἐγγύτατα γένους ἐκδιδότω. — ἐὰν δ' αἱ γυναῖκες πλείους ὦσι μὴ ἐπάναγκες εἶναι πλέον ἢ μίαν ἐκδοῦναι τῷ γένει, ἀλλὰ τὸν ἐγγύτατα δεῖ ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγύτατα γένους ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν ἢ ἐκδοῦναι. ἐὰν δὲ μὴ ἐπαναγκάσῃ ὁ ἄρχων, ὀφειλέτω χιλίας ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ. ἀπογραφέτω δὲ τὸν μὴ ποιοῦντα ὁ βουλόμενος πρὸς τὸν ἄρχοντα.

Non est huius loci de actionibus forensibus dicere, propter quam causam paucis de laudata lege absolvere possumus[4], quam DINARCHI auctoritas aliquo modo firmat. HARPOCRATION scil. (v. *ἐπίδικος*) laudat huius *διαμαρτυρίαν περὶ τὸ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὴν Ἀριστοφῶντος θυγατέρα*, in qua hoc iuris institutum pertractatum fuisse videtur; addit enim grammaticus: *ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ δείκνυται καὶ ὅτι τὰς ἀπορουμένας κόρας ἐξεδίδοσαν οἱ ἄγχιστα γένους ε' μνᾶς ἐπιδιδόντες*, quod tamen minus accurate dictum est, nam cum pentacosiomedimni quinque minarum dotem dare deberent, alius alii classi erat census: sed de dote nunc tacendum. Cff. praeterea SUIDAS et ETYM. M. v. *θῆττα*; POLLUX III, 33; TERENT. *Adelph.* IV. 5, 16 sqq.; *Phorm.* I. 2, 75 et II. 3, 65; DIOD. SIC. II, 18 et ARISTOPH. gramm. apud EUSTATH. *ad Iliad.* Φ, vs. 449, inter quos DIODORUS et ARISTOPHANES, ut supra indicavi, tradunt Solonem fuisse huius legis auctorem.

Neque parvi habendum alterum HARPOCRATIONIS testimonium v. *θῆτες*, quod ita: *ἐπάναγκες δ' ἦν τοῖς ἔγγιστα γένους τὰς θήσσας ἢ λαμβάνειν πρὸς γάμον ἢ ε' μνᾶς διδόναι* (leg. *ἐπιδιδόναι*), *ὡς καὶ Ποσείδιππός που ὁ κωμικός φησιν*, cuius fabulae iactura quam maxime dolendum est, ea enim huic legi maiorem lucem afferret; nunc contentos esse necesse est paucis, quae undique indagando congessimus, et fidem habeamus constanti grammaticorum testimonio TERENTII auctoritate firmato.

---

4) Alio loco de ipsa legis formula de industria dicam, cum multa ei insint corrigenda et enucleatius disputanda.

Iamiam ultro progressi sumus ad alterum iustarum contrahendarum nuptiarum modum, nam quemadmodum genere proximi cogebantur aut ducere aut elocare filiam hereditariam pauperem, sic licuit iis divitem in iure sibi petere; paucis mutatis DEMOSTHENIS sententia usus hac in re defungar: *ταῦτα μὲν προσέταξεν ὁ νομοθέτης, ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς προσήκοντας ἐπάναγκες, ἕτερα δὲ πολλὰ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐν τῷ νόμῳ.*

B. *De modo nuptiarum ineundarum, qui dicitur ἐπιδικασία.*

Ἐπιδικάζειν, *adiudicare* archon aut iudices dicuntur, qui inquisito petitoris iure huic alicuius rei possessionem tribuunt: plerumque autem de hereditatibus et filiabus hereditariis dicitur, quae adiudicantur iis, quibus ius est in eas. Conferri licet Is. *de Hagn. Her.* p. 86, § 26: *ἀπόδοτε ὑμεῖς ἐπιδικάσαντές μοι τοῦτον τὸν κλῆρον.* Ἐπιδικάσασθαι dicitur is, qui sibi hanc adiudicationem petit (Is. *de Pyrrhi Her.* p. 45, § 59 *οὐδένι ἐπιδικάζεσθαι τῶν πατρῴων προσήκει*, Is. *de Arist. Her.* p. 80, § 12 *οἷς προσήκει τῆς ἐμῆς μητρὸς ἐπιδικάσασθαι*), aut impetrat (Is. *de Phil. Her.* p. 62, § 61 *τοῦ γὰρ Φιλοκτήμονος κλήρου ἂν μὲν ἐπιδικάσηται ὅδε ὑμῖν αὐτὸν ταμιεύσει τὰ προςταττόμενα λειτουργῶν, ὥσπερ καὶ νῦν καὶ ἔτι μᾶλλον*). Hereditates autem et filiae hereditariae *ἐπιδικασθῆναι* dicuntur. Cf. Is. *de Phil. Her.* p. 62, § 51 *καὶ πότερον δεῖ τὴν ἀδελφὴν — ἢ γνησίαν οὖσαν ὑφ' ὑμῶν ἐπιδικασθεῖσαν συνοικεῖν ὅτῳ ἂν ὑμῖν δοκῇ.* Actio ipsa *ἐπιδικασίας* nomen gerit (DEM. *adv. Leoch.* p. 1084, § 13 *Ἀρχιάδης ὑπὲρ οὗ τοῦ κλήρου τὴν ἐπιδικασίαν ποιούμεθα νυνί*), et res eiusmodi actione petenda *ἐπίδικος* vocatur (Id. *adv. Macart.* p. 1074, § 69 *ἐπιδίκου ὄντος τοῦ κλήρου τοῦ Ἁγνίου.* Is. *de Pyrrhi Her.* p. 44, § 64 *τὰς — δοθείσας τοῖς ἐγγυτάτω γένους ἐπιδίκους ὁ νόμος εἶναι κελεύει*); quae contra iudicis sententia nec adiudicata est, nec adiudicari potest *ἀνεπίδικος* (*c. Steph.* II, p. 1135, § 22 *ἀνεπίδικον μὴ ἐξεῖναι ἔχειν μήτε κλῆρον μήτε ἐπίκληρον*); hinc bona paterna, in quae sine epidicasia succeditur *ἀνεπίδικα* dicuntur (Is. *de Pyrrhi Her.* p. 44, § 59; *de Cir. Her.* p. 72, § 34).

His praemissis videamus quaenam iuris instituta de nuptiis per epidicasiam contrahendis Athenis valuerint. In oratione *de*

Pyrrhi Hereditate nobis commodissimum huius rei exemplum offertur. Endius Pyrrhi filius adoptatus eius filiam spuriam Philen desponderat, et in patris adoptantis bona successerat: post mortem Endii huius hereditas pervenit ad matrem et fratrem; Philes avunculi vero contendunt eam non spuriam esse, iniuria igitur Pyrrhi opes ab Endio et fratre esse vindicatas: orator et aliis argumentis iudicibus persuadere conatur Philen revera fuisse spuriam Pyrrhi filiam et eo, quod non facta essent post mortem patris ea, quae fieri solerent, si quis filiam hereditariam reliquisset; sic p. 45, § 74 persequitur: δῆλον μὲν γὰρ ὅτι ἐπίκληρον καταλιπὼν ἀκριβῶς ἂν ᾔδειν ὅτι δυοῖν θάτερον ἔμελλεν ὑπάρχειν αὐτῇ· ἢ γὰρ ἡμῶν τινὰ τῶν ἐγγύτατα γένους ἐπιδικασάμενον ἕξειν γυναῖκα, ἢ εἰ μηδεὶς ἡμῶν ἐβούλετο λαμβάνειν, τῶν θείων τινὰ τούτων τῶν μαρτυρούντων, εἰ δὲ μή, τῶν ἄλλων τινὰ τῶν συγγενῶν τὸν αὐτὸν τρόπον περὶ πάσης τῆς οὐσίας ἐπιδικασάμενον κατὰ τοὺς νόμους ἕξειν ταύτην γυναῖκα, quae nulla egent interpretatione, et docent omnes filias hereditarias per epidicasiam a genere proximis peti posse. Omnes filias hereditarias peti posse dixi, nam etiam nuptiae, quarum pater ipse sponsor fuerat, iustissimo quoque modo contractae post mortem huius solvi poterant voluntate eius, qui proximus cognatus erat et ipse filiam ducere volebat, nisi pater testamento filiae maritum heredem scripsisset atque adeo adoptasset. Quod dixi Isaeus docet (*Ibid.* p. 44, § 64) τὰς ὑπὸ τῶν πατέρων δοθείσας, ἂν ὁ πατὴρ αὐτῶν τελευτήσῃ μὴ καταλιπὼν αὐταῖς γνησίους ἀδελφοὺς τοῖς ἐγγυτάτω γένους ἐπιδίκους ὁ νόμος εἶναι κελεύει. Ab auctore *orat. c. Steph.* II, p. 1135, § 22 deinde τῶν ἐπικλήρων ἁπασῶν epidicasiam esse discimus; alia quoque Isaei oratio (*de Arist. Her.*) multum afferet lucis. Aristomenes filiam Aristarchi fratris cum dote desponderat, licet ea ius haberet succedendi in bona paterna aut a proximo genere per epidicasiam peti posset, nam fuit filia hereditaria (p. 80, § 6; p. 81, § 19): suam vero ipsius filiam Aristomenes cum Aristarchi opibus despondet Cyronidae, filio quidem Aristarchi sed in aliam domum adoptato; quapropter iure attico nullum ius ei erat in bona paterna. Ex his Cyronidae et Aristomenis filiae nuptiis duo nascuntur filii, quorum alter Aristarchus iunior dolo malo in senioris Aristarchi bona ad-

optatur. Primum igitur summa iniuria Aristarchi filia paternis bonis privata erat, tum Aristarchus iunior adoptione nequaquam legitima his bonis fruebatur; videri possit maritus Aristarchi filiae vecors et ignavus, quod non conatus sit in iure petere suae uxori bona paterna; at ii, qui ea sibi vindicarant simul huius proximi genere fuere: hi igitur, si maritus iure contra eos ageret, per epidicasiam eam cum paternis opibus petere poterant. Haec fuit causa ob quam maritus ille non litigaret: ecce ISAEUM ipsum (§ 19): *ὁ γὰρ πατὴρ οὑμὸς* (maritus Aristarchi filiae) *ἐπὶ προικὶ ἐγγυησάμενος τὴν ἐμὴν μητέρα συνῴκει, τὸν δὲ κλῆρον τούτων καρπουμένων οὐκ εἶχεν ὅπως εἰσπράξαιτο. ὅτε γὰρ περὶ αὐτοῦ λόγους ἐποιήσατο τῆς μητρὸς κελευούσης, οὗτοι ταῦτ' αὐτῷ ἠπείλησαν, αὐτοὶ ἐπιδικασάμενοι αὐτὴν ἕξειν, εἰ μὴ βούλοιτο αὐτὸς ἐπὶ προικὶ ἔχειν. ὁ δὲ πατήρ, ὥστε τῆς μητρὸς μὴ στερηθῆναι, καὶ δὶς τοσαῦτα χρήματα εἴασεν ἂν αὐτοὺς καρποῦσθαι*, et sic filia Aristarchi suis privata vitam peregit. In Comoedia persaepe res aguntur iuris instituta explicantes, aut ex iis explicandae: Philocleonem iudicem in *Vespis* (vs. 583 sqq.) haec gloriantem audimus:

κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατήρ τῳ δῷ καταλείπων παῖδ' ἐπίκληρον
κλάειν ἡμεῖς μακρὰ τὴν κεφαλὴν εἰπόντες τῇ διαθήκῃ
καὶ τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισιν ἐπούσῃ,
ἔδομεν ταύτην ὅστις ἂν ἡμᾶς ἀντιβολήσας ἀναπείσῃ,

quod prorsus idem est, atque ex ISAEI oratione revera factum novimus: apud oratorem filia hereditaria fraude bonis eiicitur; in fabula proximus genere in iure petere dicitur ut ea sibi adiudicetur: testamentum non curant iudices, penes quos est iudicare sitne testamentum ratum necne; adiudicatur iudicum sententia filia genere proximo, *ὅστις ἂν αὐτοὺς ἀντιβολήσας ἀναπείσῃ*. Sic patris voluntas nihili habetur, nam, ut supra vidimus, eam per testamentum cum opibus despondere poterat, et praeterea adoptione futuri nepotis cavere, ne genere proximus filiae nuptias disrumperet ea sibi petenda (ISAE. *de Pyrrhi Her.* p. 45, § 73).

Nihil cum mandasset pater testamento, proximo genere ius erat filiae hereditariae petendae; leges vero hunc non cogebant id facere, ut abunde discimus ex loco principe ISAEI: quid enim opus fuisset addere ordinem, quo proximi

genere sese iure sequerentur in petitione, nisi primo negante secundo idem ius esset, quem mox tertius exciperet? Alter eiusdem oratoris locus idem probat: non enim tam leniter rem egisset neque his usus fuisset vocabulis (p. 80, § 5): »mater »mea, patre Aristarcho et fratre Demochare mortuis heres ex »asse facta est bonorum paternorum: Aristomenes autem Ari»starchi frater *non curans eam aut sibi ipsi per epidicasiam pe»tere aut filio suo*, patri meo eam despondit," si lex Aristomenem coëgisset fratris filiam ducere, sed credo maximopere invectus fuisset in eum qui patrias leges tam despexisset atque neglexisset.

Genere proximos sese ordine quodam sequi iam dixi, de quo nunc videamus: rei naturae convenit hic aliquo modo eundem spectari ordinem atque in iure hereditario: satis tamen interest, nam in filiae hereditariae epidicasia e. g. nil interesse videtur ducatne proximus originem a maribus an a feminis, quod aliter in iure hereditario: neque in ea defuncti cognatae neque parentes proximis adnumerandi sunt; indicia vero sunt rarissima, qualis ille ordo fuerit: ISAEUS tribus locis occasionem praebet ordinis cognoscendi, qui valuerit in filiae hereditariae epidicasia. In *orat. de Pyrrhi Her.* p. 45, quem locum iam descripsi, primi dicuntur filii sororis (ἀδελφιδοῖ) patris defuncti ipsius: sequuntur huius avunculi, quos cetera genere proximorum turba excipit. In *or. de Arist. Her.* p. 80, § 5 idem orator docet fratrem germanum patris defuncti primum esse, tum eius filium: his tertius accedit locus ex *orat. de Ciron. Her.* p. 72, § 31 non omni difficultate vacuus. Vidimus enim ordinem sic constitutum esse: primum fratres defuncti, tum filii horum fratrum aut sororum, deinde avunculi ipsius defuncti, denique unusquisque genere proximus; at his adversari videtur locus, quem laudavi: Ciron mortuus est relicta filia hereditaria, oratoris matre: Cironis ἀδελφιδοῦς eius hereditatem petit iure ἀγχιστείας, quod ius orator ei negat et propter alia et propterea, quod proximus genere nunquam posset potiri filiae hereditariae opibus, quarum domini essent ex ea nati, cum lexiarchicis tabulis essent inscripti, quod attico iuri convenit. Paullulum tamen lapsus videtur in iis, quae l. l. dicit: εἰ γὰρ ἔζη μὲν ἡ ἐμὴ μήτηρ,

θυγάτηρ δὲ Κίρωνος, μηδὲν δ' ἐκεῖνος διαθέμενος ἐτελεύτησεν, ἦν δὲ ἀδελφὸς οὗτος αὐτῷ, μὴ ἀδελφιδοῦς, συνοικῆσαι μὲν ἂν τῇ γυναικὶ κύριος ἦν, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἄν, ἀλλ' οἱ γενόμενοι παῖδες ἐκ τούτου καὶ ἐξ ἐκείνης, ὁπότ' ἐπὶ διετὲς ἡβήσειαν. Negatam vides h. l. *ἀδελφιδῷ* defuncti epidicasiam alias ab eodem ei tributam: at excogitari potest, quod ISAEUM secum convenire faciat; nobis enim nunc ignotum est, fuerintne Cironi alii quoque fratres, qui istum in epidicasiae ordine praecederent, ita ut merito dicere posset orator *εἰ ἦν ἀδελφὸς οὗτος αὐτῷ, μὴ ἀδελφιδοῦς*. Hunc igitur locum non morabimur, nam e reliquis satis constat ius per epidicasiam filiae hereditariae petendae etiam esse *ἀδελφιδοῖς*. In hunc ordinem C. C. BUNSEN in opere *de iure hereditario Atheniensium* inquisivit (p. 45), et novam adiecit quaestionem, cuinam scil. filia hereditaria adiudicanda esset, si plures eodem gradu eam peterent, quo facto ille maximo natu adiudicatam esse censet.

De industria neglexi huc usque legis formulam ipsam attingere, quae tamen apud veteres occurrit; ne propterea sim in culpa: malui rem exemplis et testimoniis idoneis illustrare, quam disputandi initium ex turbido fonte petere. Nunc tamen breviter de ea exponendum. In *orat. c. Steph.* II, p. 1134, § 18 haec leguntur:

ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ τὸν κύριον ἔχειν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ τοῦτον κύριον εἶναι.

De prioribus vocabulis nunc nihil dicendum est, ea enim pertinent ad desponsionem; in reliquis vero vix credibile est, quanta interpretum et criticorum dissensio sit. Paucis enarrabo, quid singuli senserint, ut meam ipsius sententiam denique proferam singulorum argumentis refutatis.

MÜLLER (*Gött. gel. Anz.* 1821, p. 1178) et PLATNER cum *δευτέρας* hac de lege *φροντίδας* proferret (*Att. Proc.* II, p. 250) et DE BOOR (*über das Att. Intestat. Erbr.* p. 78) recte interpretati sunt *ἐὰν δὲ μὴ ᾖ* (scil. *ἐπίκληρος*) *ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ* (scil. *ὁ κύριος*) *τοῦτον κύριον εἶναι.* Haec interpretatio grammaticae scil. convenit sed videndum an iuri etiam attico. Lex enuntiat ex horum VV. DD. sententia: sin vero nullus horum

(neque pater, neque frater, neque avus) superstes est, si qua filia hereditaria est, is eam habeat, cui ius in eam est: sin vero non est filia hereditaria, is cui eam permiserit ὁ κύριος, hic κύριος esto. Quid haec significent, difficile dictu est, nisi priori vocabulo ἐπίκληρος intelligas filiam hereditariam cui sunt revera bona paterna, oppositam pauperi; nam si tantum interpreteris filiam hereditariam nulla habita ratione sitne dives an pauper, futilis est legislatoris elocutio se ipsum interpretantis ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, τοῦτ' ἐστὶν, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, quo fit ut vocc. ἐὰν δὲ μὴ ᾖ — εἶναι videantur continere legis instituta de filia orba paupere. Altera vero lege (DEM. *adv. Macart.* p. 1067, § 54) legislator optime consuluit filiabus hereditariis pauperibus; cogitari non potest hac quoque lege, alterius quasi oblitus, iterum statuere alio modo quid de pauperibus fieri velit. Haec universe de tota lege: singulas partes si spectemus mirum accidit illud: *si qua filia est hereditaria ὁ κύριος eam habeto*, nam rogati quis κύριος sit filiae hereditariae, cui iam ipsi filii tabulis lexiarchicis inscripti sint, nil aliud respondere possumus nisi filios ipsos κυρίους esse suae matris; quo legis vocabula τὸν κύριον ἔχειν nimis indefinite dicta sunt nam tunc κύριος fit is, qui eam ducere non potest.

Hanc igitur interpretationem quum iuri attico non convenientem viderent, alii alias ingressi sunt vias ad locum emendandum et interpretandum, de quibus mox videbimus. REISKIUS vocc. ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ad κύριον refert et vertit: »si non »fuerit (scil. κύριος) in eius, cui se permiserit, potes»tate esto." Huic recte responsum est ob sententiae structuram vocc. ἐὰν δὲ μὴ ᾖ non posse referri ad κύριον et ἐπιτρέπειν sic positum non ea significare, quae ille voluerit. Addi possit nullam in civitate attica cogitari potuisse feminam, cui non sit κύριος. PLATNER (*Beitr. z. Kenntn. d. Att. Rechts* p. 118), quamquam hanc verbo ἐπιτρέπειν significationem abiudicans, REISKII explicationem unice veram dixerat, negligens principem interpretationis regulam, quam ut recta sit niti oportet vera vocabulorum significatione.

BUNSEN (l. l. p. 48) Marciani Codicis lectionem ἐπίκλητος pro ἐπίκληρος tuetur, quo fit ut prorsus in interpretatione fallatur,

ut copiose a PLATNERO (*Heidelb. Jahrb.* 1814, p. 1291) demonstratum est. Tandem legum Atticarum in Germania nuperrimus interpres SCHELLING (*de Solonis legibus apud Oratt. att.* p. 100) sensit locum non bene se habere, nec tamen rem prospere gessit. Pro vulgato ἐὰν δὲ μὴ ᾖ legendum censet ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ et totum locum sic interpretatur: »si horum nemo supersit, si qua igitur orba (ἐπίκληρος) sit, ὁ κύριος (scil. is, qui proximus est virginis cognatus, et, si virgini hereditas relinquitur, cum illa κλήρου heres est) eam (uxorem) habeat; sin non habeat (h. e. si eam habere nolit) is, cui eam tradat (ἐπιτρέψῃ scil. ἔχειν) dominus bonorum (et simul maritus) esto."

Hanc quominus coniecturam accipiamus maxima sunt, quae impediunt; ne dicamus de istis *qui proximus est virginis* et *si eam habere nolit*, nam etiam femina nupta genere proximorum epidicasiae obnoxia erat, et praeter voluntatem, alia erant, quae τὸν κύριον impediebant quominus τὴν ἐπίκληρον duceret; primum restat effusa illa legislatoris loquacitas: *si horum nemo supersit, si qua igitur orba sit.* Deinde gratum fecisset SCHELLING, si explicavisset, quo tandem modo inter se cohaereant sententiae partes voculis μέν et δέ coniunctae: ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ et ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ. Non ita solent neque oratores neque qui istas leges conscripserunt: inspicias DEM. *adv. Macart.* p. 1167, § 51 ὅστις ἂν μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὲν παῖδας καταλίπῃ θηλείας, σὺν ταύτῃσι, ἐὰν δὲ μή, τούσδε κυρίους εἶναι, ubi diserte inter se respondent ἐὰν μὲν καταλίπῃ et ἐὰν δὲ μή. Hoc plane praetervidisse videtur, et denique lex ipsa, qua utitur interpretatione, iuri attico repugnat, nam qui ducit filiam hereditariam nunquam fit κύριος eius bonorum; quas ob causas ei ne credamus.

Ut lex nunc sese habet nulla valet interpretatio nisi quam ei tributam vidimus MÜLLERI aliorumque sententiis: quae tamen cum iuri attico non conveniat et valde dubitem an voc. ἐπίκληρος nunquam occurrat significatione quam tunc attulimus, ut locum explicaremus, alia circumspicienda sunt remedia; quapropter orationem ipsam evolvamus. »Videte," orator inquit, »leges ipsas, quae docent a quibus desponsiones fieri debeant, ut sciatis hunce Stephanum ficti testamenti falsum

»esse testem." Lex deinde quaedam recitatur, qua recitata sic pergit: »Audivistis, quos lex faciat κυρίους (scil. mulierum »et earum despondendarum): iam ipsi adversarii testati sunt »matri meae horum neminem superstitem esse; nam si quis »superesset, sane produxissent. An testes falsos et testa»menta falsa producturos eos putatis, fratrem vero et avum »et patrem non putatis, si sibi inde aliquid lucri sperent? »Horum autem nullo superstite mea mater ἐπίκληρος sit neces»se. Huius autem quisnam κύριος sit, videte." Iterum lex recitatur, qua fretus deinde sibi postulat ius matris despondendae.

Quam legem priore loco orator recitari iubet? hoc si quis ex me quaerat, nihil aliud respondendum videtur nisi ipsius oratoris vocabulis: legem eam, qua sancitur in cuius manu femina sit, cui ius sit eius despondendae; et revera in apposita lege rectissime leguntur vocc. ἣν ἂν ἐγγυήσῃ — παῖδας εἶναι. Quae deinde sequuntur nihil huc faciunt, quod luculenter patebit diligenter expendenti significationem eorum, quae lege recitata ab oratore dicuntur: οὗτος μὲν τοίνυν ὁ νόμος οὓς ἐποίησε κυρίους εἶναι ἀκηκόατε· ὅτι δ' οὐδεὶς ἦν τούτων τῇ μητρὶ οἱ ἀντίδικοί μοι αὐτοὶ μεμαρτυρήκασιν, ex quibus leve vitium tollas delendo vocabulo εἶναι male a librario adscripto, qui non intelligeret aliquid interesse inter ποιεῖν τινὰ κύριον et κελεύειν τινὰ κύριον εἶναι, quod alibi saepissime invenisset. Non arbitror vocabulis ὁπότε τοίνυν μηδεὶς φαίνεται ζῶν τούτων, τότε ἀνάγκη ἐπίκληρον τὴν μητέρα ἡμῶν εἶναι inesse argumentum, quo persuadeatur nobis in lege recitata definiri quaenam tandem ἐπίκληρος vocanda sit: sin vero huius rei in ista lege explicatio locum habuisset, plane alio modo legislatorem id facturum fuisse censeo, non vero sic: ἐὰν δὲ μηδεὶς τούτων ᾖ, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, quibus si illud significetur, insulsissime dicta sunt.

Aperte dicam, quid de saepius disputata lege sentiam: est serioris magistri fictio, quae, quoquo te vertas, innumeras parit molestias, et nimis diu conata est verae iuris attici doctrinae imponere: obscurus vero dicendi usus, quo auctor usus est, effecit ut ad hunc usque diem intellecta non sit nec unquam facile intelligi possit. Apparet eam non integram sed

magna ex parte corruptam ad nos pervenisse, sed nemo impostoris manum non agnovit.

Superest ut moneam epidicasiae actionem deferendam fuisse ad Archontem lege qua hic iubebatur curam gerere filiarum hereditariarum, et orborum et parentum, ut discimus ex eadem orat. p. 1135, § 22: *τὸν τοίνυν νόμον ἐπὶ τούτοις ἀνάγνωθι, ὃς κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν ἐπικλήρων ἁπασῶν καὶ ξένων καὶ ἀστῶν, καὶ περὶ μὲν τῶν πολιτῶν τὸν ἄρχοντα εἰσάγειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι, περὶ δὲ τῶν μετοίκων τὸν πολέμαρχον καὶ ἀνεπίδικον μὴ ἐξεῖναι ἔχειν μήτε κλῆρον μήτε ἐπίκληρον.* Cf. DEM. *adv. Lacrit.* p. 940, § 48.

Ulterius persequi epidicasiae actionem extra fines nostrae disquisitionis est; cetera enim quae de ea dicenda sunt spectant ius actionum, non familiarum.

Scripsi *Leovardiae* m. Ianuario MDCCCLVI. A. H. G. P. VAN DEN ES.



Effossa nuper est in Piraeeo et Athenis primum, deinde in Philologo Goettingensi VII. p. 295. edita inscriptio, in qua ita legitur: *ἐπειδὴ Ἑρμαῖος — ταμίας γενόμενος πλείω ἔτη εἴς τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς* (L. *εὐσεβῶν*) *διατελεῖ καὶ κοινῇ τοῖς ὀργεῶσιν καὶ ἰδίᾳ ἑκάςῳ εὔχρηςον ἑαυτὸν παρασκευάζων καὶ φιλοτιμούμενος τάς τε θυσίας θύεσθαι τὰς καθηκούσας καὶ εἰς ταῦτα προεὶς, εὐπορῶν, πλεονάκις ἐκ τῶν ἰδίων καί τισι τῶν ἀπογεγονότων — προϊέμενος εἰς τὴν ταφὴν — καὶ εἰς τὰς ἐπισκευὰς δὲ προαναλίσκων κτἑ.* Turpe in his vitium negligentia Atheniensium invectum et a Goettingensi Editore non animadversum palam faciet locus Isaei a Dionysio Halicarnassensi servatus Tom. V. p. 593. *ἀνθ' ὧν ἐγὼ σωθεὶς ἐχρώμην αὐτῷ ἔτι μᾶλλον καὶ κατασκευαζομένῳ τὴν τράπεζαν προεισευπόρησα ἀργυρίου.* Itaque corrige *καὶ εἰς ταῦτα προεισευπορῶν πλεονάκις ἐκ τῶν ἰδίων*, quae certissima correctio Isae veram scripturam *προεισευπόρησα* adversus librariorum errorem *προσεισευπόρησα* satis vindicabit.

C. G. C.